

P R A E F A T I O N E

pta, sed excerpta ex veteribus commentarijs, qui ad huius diuinatri
cis reprehensionem multo ante collecti fuerunt. Hos refutarunt docti
niri Bellantius, & aliij quidā, & multæ leues & ieunæ cauillationes obi-
ciuntur, quarum repetitio longa, & refutatio non necessaria est. Pru-
dentes uerissimo Galeni iudicio contenti sint, qui de ipsis astrorum esse
etionibus inquit: Sophisticum est manifestæ experientiae uelle contra-
dicere. Addit autem, esse aliquas siderum ac luminis effectiones in ele-
mentis, & corporibus mixtis, plantis & animantibus manifesta expe-
rientialia compertū est. Vt scimus ignē calidum esse, aquam humidam (sic
enim loquar exēpli causa) sic scimus corpora à Sole calefieri, à Luna hu-
mectari; Saturni & Martis coniunctionem in Leone æstus, & siccitates
facere; Lunæ & Iouis coniunctionem in Cancro, augere humores.

Hæc cum perpetua experientia palam testetur, non dubia sunt, nisi
quis Sophisticè, ut Anaxagoras, disputare uelit, Niuem atram esse. Cum
igitur sint aliquæ effectiones astrorum, & earum animaduersio artem
pepererit, non inanem esse hanc diuinatricem necesse est, sed metæ con-
stituantur iam antea à Ptolemæo præscriptæ.

Lumen aduehit qualitates primas & proximas ex his ortas in alia
corpora. De aëre his annis multis certissima testimonia uidimus, quæ
coniunctiones & eclipses, æstuum, quæ humiditatum magnarum causa
fuerint. Sed de homine dicamus.

Crases humanorum corporum, & si multum sumunt à materia seu
à semine, tamen certum est eas ualde temperari potestate siderum, ut na-
ti paulò ante coniunctionem cum Luna iam radijs Solis tegitur, longè
sunt imbecilliores alijs. Rursus hi quibus fulgent magnæ Saturni & Io-
uis coniunctiones, Crasim longè habent fœliciorē. Sed longum esset ex-
empla persequi, quæ congruere uidebit quicunq; aspicere ea uoleat.

De his effectibus, id est temperamentis & inclinationibus, quæ co-
mitantur temperamenta loquimur, non referimus ad sidera omnes om-
nium hominum actiones & euentus. Vt igitur in Medica arte ex cogni-
tione causarum, signorum, & effectuum ars extitit tum iudicandi, tum
prædicendi multis corporum mutationes, & ea prædictio Physica, res
concessa est, & aliena à superstitione, quia est aspectio diuinorum ope-
rum, causarum, signorum, & effectuum: Ita in hac diuinatrice iudican-
te ex siderum positu, causæ, signa, effectus aspiciuntur, & horum consi-
deratio tantū est diuinorū operum aspectio. Quare & concessa est hæc
ars, & aliena à superstitione. Sed non euagemur extra metas. Nō affir-
memus ea, quæ à potestate astrorum non oriuntur, nec misceamus for-
tes & illæ genera diuinationum, quæ uocat Ptolemæus αὐτιολόγητα.

Postquam